dux Swevie constituitur. Peracta sollempnitate imperator filium suum Heinricum regem in Poloniam cum exercitu destinavit, qui in reditu ad Erffordiam venit, et archiepiscopum Conradum Maguntinum cum Ludewico lantgravio pace reformavit; ubi etiam in cenaculo rupto[a] pavimento in cloacam plurimi sunt suffocati, scilicet quinque comites, videlicet Heinricus de Swartzburgk, totius discordie seminator, Fredericus de Aldinburgk, Fredericus de Kirchbergk, Gothmarus de Zieginhayn, Burckhardus de Wartpergk et Hertingus de Meldingin VII. Kal. Augusti. Eodem anno Beatrix imperatrix obiit, et Spire[b] sepelitur. Anno Domini MCLXXXVI. Imperator filio suo Heinrico regi Mediolanis[c] nuptias celebravit et ei filiam regis Sicilie in matrimonium copulavit.

Anno Domini MCLXXXVII. Soldanus collecta multitudine Turcorum et Sarracenorum conflixit cum rege Hierosolimitano, Templariis et Hospitalariis, secundo Idus Iulii, circiter mille ducentis et amplius occisis; Ierusalem et omnia castella Christianorum accepit, omnemque multitudinem in ore gladii consumpsit.

Anno Domini MCLXXXVIII. Heinricus Albanensis episcopus, et sedis apostolice legatus,[d] in Maguntia in Quadragesima crucem in subsidium terre sancte predicavit,

(nicht in E)
a) rupta c.
(nicht in E)
spira
b) -ra c.
c) -nis c.
1. K. E.
Ierosolitano c.
d) -tos c.
NB!